



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem Varia Ervditione Noviter evoluta

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

5. Vir sapiens & eloquens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

sciyo aures vulnerant, animos emolliunt, Veneres stimulant, cupidines animant, theatra infamant. Et illi quoque cantores seriùs sperent sidera, qui fractis in mollitiem modulis, & ambitioso numerorum flexu artem suam referunt magis ad vanitatem, quàm ad pietatem: ad suam arrogantiam, quàm ad Numinis reverentiam, sequentes genus canendi effeminatum, saltatorium, Phrygium, emasculatum, minimè religiosum, vibrantes & crispantes vocem non aliam, quàm qualem describit Juvenalis sat. 3.

Miratur vocem angustam, quàm deterius nec.

Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Monet suaviter Mellifluus Doctor: *Cantus, plenus sit gravitate: nec lasciviam resonet, nec rusticitatem: sic suavis, ut non sit levis: sic mulceat aures, ut moveat corda: tristitiam levet, iram mitiget: sensum littera non evacuet, sed facundet.* Bernard. epist. 312. ad Guidonem Abbatem.

V. (e) Orpheus, ut scribit Pausanias in Bœoticis, multa humanæ, politicæque vitæ utilia invenit, nam Deorum initia, & universam Theologiam primus aperuit, & quibus ritibus cœlestium iræ placentur, tradidit. Mythologus ait lib. 7. c. 14. Orpheus vir fuit planè sapientissimus, *Lini* auditor, & ut illa ætas ferebat, divinarum rerum peritissimus; post mortem Eurydices, cæterarum mulierum conjugium sprexit, & ideò illi sexui exosissimus fuit, unde hominum consortium fugit, & satis sibi voluptatis ex sua cithara hausit, nunquam minùs solus, quàm ita solus. Hic idem cum in rudes adhuc mortales incidisset, qui sine ullo morum delectu, & sine legibus viverent, ferarumque ritu per agros, nullis conditis tectis, vagarentur, tantùm dicendo, & orationis suavitate valuit, ut ad mansuetius vitæ genus feros homines traduxerit, illos in unum locum convocarit, civitates condere docuerit, legibusque civitatum obtemperare, matrimoniorum fœdera servare: quod fuit antiquorum poëtarum munus creditum; & est reipsa, sicut canit Horatius in arte Poëtica:

Silvestres homines sacer, interpretisque Deorum,
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quò vellet. Fuit hæc sapientia quondam:

Publica

(e) *Vir sapiens & eloquens.*

Publica privatis secernere, sacra profanis:
 Concubitu prohibere vago: dare jura maritis:
 Oppida moliri, leges incidere ligno.

Hic tanta vi dicendi fuisse dicitur, ut consternatos animos mortali-
 um, & ob aliquam presentem calamitatem in desperationem lapsos e-
 rexit, & in priorem statum reduxit, atque ad tranquillitatem revo-
 carit. Hic ipse placatis inferis, animi perturbationibus scilicet, Eury-
 dicen in lucem reducere conatus est, quæ, ut nomen ipsum significat,
 nihil aliud est, quam *justitia & aequitas*. Hac Comes Natalis & ego, in
 laudem Orphei.

VI. (f) Sunt tamen multa, quæ in eodem reprehendas. Nam
 etsi libenter ipsum contra Pausaniam, & alios, ab insimulatione magiæ &
 necromantiæ absolvimus; non potest tamen extra vituperium poni, quod
 nimium abripi se passus sit uxoris amore. Propter ipsam ad inferos us-
 que descendit, cuiusque desiderio tam impatienter arsit; ut in reditu,
 cum jamjam superas evassisset in auras, tantillum oculis imperare non po-
 tuerit, quin in Conjugem respiceret, & amando perderet, quod amando
 acquisivit. Poëta Mantuanus 4. Georg.

----- subita incautum dementia cepit amantem,
 Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes;
 Restitit, Eurydicenque suam, jam luce sub ipsâ
 Immemor, heu victus animi, respexit; ibi omnis
 Effusus labor: atque inmitis rupta tyranni.
 Fœdera.

Hoc ipsum non rarò viris contingit Sapientiâ præstantibus, ut au-
 dian *Vxorii*. De Orphei citharâ Martialis lib. 14.

Reddidit Eurydicen Vati, sed perdidit ipse,
 Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Et Virgil.

Eurydice ex oculis subitò, ceu fumus in auras
 Commistus tenues, fugit diversa.

Non fuit par Orpheus ferendæ tantæ jacturæ ac dolori; diu, noctu-
 que lamentis se dedit, hominum consuetudinem fugit, in solitudinem se-
 cessit, ut mœstis naniis vacaret; ita quidem ut abscissum etiam Vatis ca-
 put Eurydicen suam ingeminaret. Maro loc. cit. Inter alia canit:

Tum quoque marmorea caput à cervice revulsum
 Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus

Volue-

(f) *Vxorii viri.*